

veteri farinae immisceri iussit. Quibus factum est, ut multi post aliquot horas vitam cum morte commutarent.

Prætereo innumera & inestimabilia in Medicinam & Res Familiares, vulgo Oeconomiam, redundantia commoda: At quorundam Medicorum superficialem physices tractationem ac notitiam, & in indaganda Natura, inexcusabilem negligentiam, culpo. Cum tamen Medicis optima, Naturam inquirendi, occasio sit, ut operam, studium, diligentiam, ingenium & iudicium in Anatomiam, Botanicam, Chimi- am, Mineralogiam &c. conferant. Quid enim optabilius, quid præstantius & jucundius, quam Medicorum investigatio Naturæ, observationum collectio, earum- que typis expressa communicatio? ex quibus hæc utilitates: (1.) ut rerum varietates enumerentur, mira que Dei sapientia innotescat (2.) Eruditus orbis harum rerum notitiam acquirat, & brevi totius orbis Naturalis Historia colligi possit, (3.) quæ-